

ab Indo Scythiæ Rege, & qui retulerint acceptum Thoanti
 Eaclique, & Erichthonio, & qui Soli, & qui Vulcano, & qui
 etiam Chryso, cuius opinionis fuit Hippocrates ratus ab in-
 uentore τὸν χρυσόν, hoc est aurum cognominatum. Sciebam
 quoq; proditum memoriæ, aurum in vsum non habitum in
 Europa, multoque minus conflaturam eius ante Phœnicis
 Cadmi tempora. Quid? q̄ auctis etiam Græcorum florenti-
 busq; rebus tantū auri non potuisse tota Græcia corra-^{di} (re-
 tulit Atheneus) vt inaurari caput posset Apolli: is Amyclei:
 Tantamq; raritatem eius, simul & caritatē apud Philippum
 regē fuisse, vt bene sibi actum duceret aurea phiala, & ea qui-
 dem paruula potiri, quam & sub cervicali reconderet, si vera
 monumentis literarum mandauit Duris Samius, quem Phi-
 lippi morem summæ licētiae miror adscriptum à Plinio, cum
 in aureum Philippi poculum inueheretur? Abfuerat tantum
 Græcis, vt id metalli colerent, quod etiam legibus vti vetue-
 rint. Illud ex historijs plane cognitū est, sine aureis argenteis-
 que numis & stetisse, & creuisse, Lacedæmona, procubuisse, &
 corruisse, cum sub Lysandro manubias captis Athenis aureas
 admisisset. Accedebat Plato, qui suis in legibus prohibuit au-
 rū ab vilo priuato possideri: atq; idem etiam de argento pro-
 mulgauerat. Occurrebat illius animo fortassis rarissimum
 quondam in Græcia fuisse argenti atq; auri vsum, solisque in
 templis id videri solitum. Nec nisi in tripodibus & imagun-
 culis, quas primū Lydiæ Reges Gyges, & Cræsus, deinde Si-
 culi Tyranni posuissent. Mox Phocēsis Delphos popula-
 tibus id metalli per Græciam quoquo modo vulgari cœpisse.
 Nec non ad auri minuendam æstimationē illud mihi succur-
 rebat, quod apud Hebræos in eius copia metalli sit inuētum
 æs, auro præstantius; modo retulerit vera Iosephus in septimo
 & in vndecimo antiquitatum. Veniebat etiam ad memoriam
 mandatum esse historijs ipsa in Italia castris suis interdixisse
 Spartacum, ne quis aurum haberet, aut argentum. Et post in-
 numerata tot seculorum curricula perseuerasse apud nonnullas
 Asiæ, & Africæ gentes, vt aliæ paruo duxerint aurum, aliæ
 pro nihilo etiam habuerint, ac in India, quæ putatur auri fe-
 racissima, si de ea parte, quam vicit Alexander Macedo, facia-
 mus mentionē, non fuisse aurum, ex eius rerum gestarū Græ-
 cis scriptorib. accepimus, tametsi direpta Berside tantum auri
 nactū regem ipsum, vt ad illud cōuehendum vix fuerint satis
 mulo-